Bartochowski Adalb. Sidus infulatum


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002103

SIDVS INFULATUM

Seu

PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. IGNATII GNINSKI

DIVINA VOCATIONE ABBATIS CORONOVIENSIS

GENTILITIUS DRACO

SPLENDIDISSIMÆ ORIGINIS SVORVMQVE MERITORVM LVCE CONSPICVVS,

Inter prima Cistertiensis Cæli Sidera

A

P. Adalberto Bartochovvski

è SOCIETATE IESV

In primo suæ Infulæ aditu

Panegyrica penna relatus.

Anno nati in terra Sideris.

M. DC. LXXX. VI.



POSNANIÆ,

Typis Regiis Collegii Posnaniensis Soc: Iesu.

ARMA GENTILITIA.

DRACO.

Et Iovis ante fores, & Nostri Præsulis ante
Liminá, sidereus, statq́ꝫ, caditq́ꝫ, DRACO.
Nocte Iovi servit, Tibi fundit lumina mane,
Alternum obsequium cum Iove Præsul habes.



TERNA FLVMINA.

Flumine non uno sudant Tua Stemmata. Tanta,
Vno non poterat flumine, GAza *uehi.*

PROLVSIO DEDICATORIA.

NOmen ex *supremo Elemento*, *stemma e cælo ducis*. Abbas Reverendissime. *In tantâ tamen luce non potes indignari, quod atrati præli tenebras in Tuam producam venerationem. Ipsas etiam noctes amant Astra, quæ Tuo Stemmati influxerunt. Ita deinde omnem in publico lucem exhausit Eloquentia Tua, ut nihil iam Tibi offerri possit, præter umbras. Immo, quidquid de Te, humani fundant calami, vix etiam umbræ titulum meretur, si tuorum subeat comparationem meritorum. Expressi tamen obscura hac atramenti nocte, quod ita uenire ad Te uelim, ut nulli luci spatium præripiam, pertingam tamen. Nihil enim umbris humilius, nihil, quod minus poscat spatii, nihil, quod melius cum primæ magnitudinis astris conueniat. Alia conatibus nostris ad tantæ lucis incrementa via non patebat. Maxima Scripto-*

*rum veneratio eſt, ſi eorum, quos co-
lunt, Nomina ſideribus admoveant;
Ego, præter hanc aliquot literarum um-
bram, quo Te efferam, non habeo* Anti-
ſtes Digniſsime, *poſtquam ipſa ſidera,
in Ceras Tuas defluxerunt, neque Tibi
ſeruire erubeſcunt. Vnum nimirum Ti-
bi munus offero, audeo dicere, pulcherri-
mum, munus, quod ætates ſingulæ uix fer
re conſueverunt, munus, quod ad æterni-
tatem Famæ Tuæ conſpirauit: Virtutum
ſcilicet Tuarum Imaginem, rudi cala-
mo adumbratam: ut appareat orbi,
quantum ab Oratorum coloribus laus
Tua diſtet. Audax hominis conſilium
foret, lumen aliquod velle addere tantæ
luci. Nullus Apelles eum adiecit ſoli ra-
dium, quo, clarius radiaret in tabulâ,
quam in cælo. Abſoluis ergo omni me-
tu tam humilem calamum, quod in
Templum Sacrorum Tuorum operum
ſe inferat. Ingens illum aura famæ
Tuæ huc pepulit. *Licuit olim uolucri-*

bus

bus ad Delubrum Apollinis convola ntibus, cum non haberent, quod offerrent; plumas, quibus se quomodocunque efferre poterant, ultro sibi detraxisse, & inter grandes aliorum victimas, loco tributi, in Arâ maiori reliqvisse: non ingratum DEO illi munus, eo, quod id suo impendi videret cultui, quod Alitibus supremum fuit. Tu Antistes Reverendissime Numen quoddam mihi es, quia Tibi sidera famulantur; religiosa vero Professio mea, postquam me omnibus exuit, unam hanc mihi pennam, reliquit, quam Venerationi Tuæ dedicarem. Grandiora, nihil ambigo, cultui Tuo dona impendent alii, augustioraque; non gratiora. Tuis enim sudoribus imbui, Tuis tinxi Uirtutibus leuem conscientiâ sua calamum, ne illo plenus colore posset displicere, quo uno nihil carius habuisti. Sunt & alii tituli, quibus hunc qualemcunque conatum meum Honori Tuo debeo: probata nimirum illa

per

per tot ſubſellia in Societatem propenſio, quâ ita ſe in noſtram felicitatem extendebat, ut ideo nomina quoque IGNATII *ſumpſiſse videreris, ne in ſubitis arduiſque Reipublicæ Noſtræ negotiis Patrem nobis unquam defuiſse quereremur. Taceo domeſticos favores, quibus, me, meoſque non deſinis quotidie cumulare. Sufficit enim indicâſse, ne ingratum credas. Sed iniuriam facio Beneuolentiæ Tuæ, quod tot cauſas afferam tam debitæ venerationis. Hæc eſt ſumma ratio, cur in tanta Conſecrationis Tuæ celebritate, tam vile munus offerre audeam, quod etiam in* Ter Optimi Maximi Numinis Aris, *non ſemper Roſas liliaque, ſed agreſtia quoque liguſtra, imo & abſynthium quandoque poni conſpexerim. Admittes proinde Tu quoque primam hànc Victimam, ad ſacram Tuæ Poteſtatis Aram, vel ſi Aram non meretur, admitte proyci ad plantas cum Auctore.*



Ebebatur Supremus hîc emeritæ Virtuti Tuæ Honor, ut quidquid Tuum est, inter Sidera censeretur; postquam Gentilitius DRACO Tuus, jam olim quantumvis à barbara Religione, inter Astra relatus est. Erectos ergo jam hodie ad Tua Sidera vultus illos tollimus, quos tam longa exspectatio, ne dicam desperatio, pænè humi depresserat. Annus jam non unus supra decimum voluebatur, & adhuc innocentissima modestia Tua exspectationem nostram vulnerabat ANTISTITVM DESIDERATISSIME. Iam exhausta erant omnium vota, jam supplices Tibi calami aruerant, jam propè in solitudinem Abbatialis ædes abierat, hoc est, extra se, quia extra Te. Quoties illam afflabant Zephyri, exsibilare vota nostra videbantur. Oriebantur nobis Sidera, sed ut riderent spes nostras, non recrearent; Occidebant soles, ut imaginem nobis Tuæ adumbrarent absentiæ; iterum, iterumque redibant, ut desiderium Tui accenderent, non exstinguerent; clariusque appareret, quem, quantumque optaremus. Iacebat inter ferales exuvias Infula sine honore, quia sine fronte, sine majestate, quia sine Tuo vultu; Eo infelicior, quod nesciret, cui capiti, cui menti tam diu servaretur. Stabat Scipio Pontificius quâdam admiratione defixus, quod non esset manus, quam impleret, præter Tuam. Imminentia Coronoviensibus iuga montium, quamdiu Tuum prospectabant adventum, tam diu cervicibus nostris novæ calamitatis onus minabantur. Domesticus qui nos alias re-

Abbas extra Infulã, Annis propè duodecim.

creare ſolebat Fluvius, neſcio quid triſte murmurabat, lacrymanti, & ſub graviſsimæ exſpectationis tædio ſudanti ſimillimus. Ipſi Præſuleæ Domûs parietes, quaſi orbitatem ſuam intelligerent, exuti Domino, cultum quoque omnem exuerant. Antiquo ritu, in pulvere agebant pœnitentiam, ut Te quamprimum mererentur. Apertis diu anhela portis tecta quodammodo nobis exprobrabant, quoties ſine Te Abbatiale limen intraremus. ×Requirebamus ergo Te oculis, in ædibus illis, quas pridem Tui deſiderio impleveras. Priùs enim omnium animos occupaveras, quàm ædes.× Nam ita ingredi primò voluiſti, ne vel ipſi quoq; telluri gravis eſſes. Quanquam ſicut annulo gemma, Sol & aſtra cœlo, telluri aurum, ita pretioſus Antiſtes Solio non eſt oneri. Et jam quidem tum palam erat omnibus, quis quantuſque eſſes, cùm abſentem quoque, ita intimè nobis adeſſe ſentiremus; non integra tamen illa fuit beatitudo, quæ peccare nos cogebat. Nimirum oculi invidebant animo, quem tenebas, animus oculis inſultabat, à quibus tam procul aberas, quàm ab ambitione dominandi. Nunquam de cœlo niſi tanquam de infenſo, & ultionem quandam de nobis ſumente cogitavimus; Immo parùm interdum aberat, ne pauciores Tibi Virtutes voveremus; ut minus delinquerent, qui illas tam ſerò in Te coronabant. Omnium ad Te collimabat conſenſus, Te omnium voces, Te omnium deſignabant ſuſpiria, Te ad Aras, defluentibus in lacrymas ceris, omnes poſcebant, Te palam declamabant Antiſtitem, omnium calamis ABBAS CORONOVIENSIS ſcribebaris, deſiderabaris ab omnibus, à paucis tamen ſperabaris. Arduum enim fuit credere, quod tanto intervallò fru-

lo frustra optavimus, id Superos huic diei reservasse. Non quòd Tibi paria majoribus etiam Infulis, deessent merita, sed desperare nos faciebat modestia Tua: Scilicet, ita totos in alienas Virtutes oculos convertisti, ut Tuas non videas. Votis ergo quantumvis ardentibus, triste successerat silentium, pudebatque adire iterum cœlum, ut infelici huic sæculo, tantum beneficium, Infulæ, tantùm decus & lumen peteremus. Dubitabamus enim, an jam cum Superis liceret, ea de re loqui, quam ita diu negârunt. Sed illuxit tandem hodie nobis candidiore Sole Dies, Dies, primis Iulij Cæsaris Idibus amænior, Dies, Ianuariis Titi, Decembribus Nervæ, Novembribus Adriani, Aprilibus Antonini, Februariis Constantini Calendis, illustrior, quia sanctior, Dies, quâ Coronoviensibus Infulis omni gemmâ sidereque sereniùs illuxisti. Distulisti quidem nobis gaudia, ABBAS REVERENDISSIME, sed damus veniam tenerrimæ modestiæ Tuæ, quæ tot simul tantaque cœli munera ocyùs ferre non poterat. Quod inane est, facilè volvitur; Vacuum fertur facilè: Quidquid leve momento attollitur: Plena & gravia, exspectare exspectariq; debent. Lento Tu quoque passu ad fastigium Coronoviensis Infulæ ivisti, ut constaret, quàm pleno meritorum gradu, huc perveneris. Festinare non poterát tanta maturitas Virtutum. Cymba levis ciciùs portum tenet, quam Oneraria, altiùs pluma evolat, quàm gemma, ad Apennini culmen faciliùs extuleris arundinem, quàm Colossum: ut se moveat, plus poscit spatii Leo, quàm formica: facilè fungus in lucem provehitur, sed non pomum, quantumvis aureum: seriùs oriuntur Soles, quàm Scintilla: prius ignobilis

bilis herba ſurgit quàm Palma. Terrarum Principatum priùs adiit Nero, quàm Trajanus. Ad metam, quem non præveniet Fraudulentus? Quis neſcit expeditiorem ad Faſces viam eſſe Vitio, quàm Virtuti? Quàm paucos in Solijs hodie adoramus Iuſtos, Magnos, Pudicos? Et tamen nihil pudori viciniùs quàm Purpura. Quanquam ingens Pudorem inter & Verecundiam diſcrimen eſt; hunc Sceleſtiſsimis quibuſque adeſse vidimus, hanc ſolis innocentibus, qui etſi non habeant quod erubeſcant, habent tamen Verecundiæ cauſam, Innocentiam. * Vicit verecundiam Tuam Felicitas Noſtra, latere non potes, palam ſunt Elogia Tua, REVERENDISSIME DOMINE. *Multorum humeris utatur neceſse eſt, qui feſsus annis curiſque publicis, altiùs jugum culmenque ſuperare contendit. * Tu humanis nihil favoribus, gratijs nihil, (quia hæ tam diu non exſpectantur) totum Tuis debes meritis Virtutique. Et hoc demum eſt, illi habere gratias, cui omnes debent. * Propè erant ſuffragia, quæ Te ad hoc faſtigium promoverent; Erant Gentilitij DRACONES, qui Te Primis Poloni Cœli ſideribus inferebant, erant AVITA FLVMINA, quibus ad altiſsimos quoſvis portus venire poteras, erant Aſtra domeſtica, quæ viam dabant. Fuit Illuſtriſsimus AVVNCVLVS Tuus, Mens Regum, Senatûs Oraculum, Regi PRO-CANCELLARIVS, qui Te illis, quas Ceris imprimebat, Aquilis extuliſſet, Si hanc injuriam Primis Regni Subſellijs paria merita Tua permiſiſſent. * Cerata enim penna Dædalum, alieni calami Fabulam, vel Corniculam Horatianam dare poſſunt, non Abbatem, non Antiſtitem, qui in exemplum eat, vel admirationem Poſtero-

Splendor Familiæ.

ſterorum. Procul, procul à communi viâ ivit Virtus Tua, ne vulgari veſtigio, etiam locum daret. Rogabamus vero pro Te Inſulam, quam Virtus poterat imperare: ut Principes, Numinis loco, nos habere fateremur, quod, ideo ſæpè negat, ut rogetur. Non æſtimabant Virtutes Tuas ſuperi, ſi primis precibus noſtris Te dediſsent. Quod facilè conceditur, pretium non meretur. Nullum auro pondus argentoque ineſſe crederemus, nullum gemmis daremus honorem, nullam haberemus reverentiam ſideribus, ſi inter faciles herbas legi poſſent. Quantum hucuſque riſum ſæculo movent illa ævi ſui Numina, quæ inter Cæpas & olera naſcebantur; ut non nemo exclamârit.

Felices populos, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina?

Tu quantus nobis occurris? quove pretio ſis aut loco PRÆSVL DIGNISSIME, qui tot conſtas Votis, totque Annis quæri debuiſti, quaſi non inter homines, ſed inter Aſtra habitares. Par erat, ut ANTECESSORES Tui ſe excuſarent, ſi tantum ſperâſſent Succeſſorem. Ideo tamen illorum Infulis verticem ſubmiſiſti, PRÆSVLVM MODESTISSIME, ut vel hoc ipſo majores redderes, quod Te Succeſſorem habeant. Sidus ergo ſit neceſſe eſt, quod ipſas etiam Vmbras illuſtres facit, Phænix, qui cineres attollit, IGNATIVS, qui favillam quoque irradiat.

Sed neque inerudita eſt virtus Tua PRÆSVL DOCTISSIME. Nam Pueritiam Tuam MAIOR POLONIA, Pruſsiaque, Adoleſcentiam ipſum Regni caput, erudivit CRACOVIA: Vt vel primâ diſceremus ex arenâ, quanta illa eſſent *Palæſtra Literaria.*

ingenij Tui vestigia, quibus ponendis, amplissima Regni theatra superi destinârunt. Fabula olim fuit, fortiorem ex pulvere Antæum surrexisse majoremque; at, Te, quantum nobis literaria reddiderit arena, geminæ, quas Romæ sub CLEMENTE IX. post eruditi triennium studij retulisti, loquantur Laureæ. Non in Nomina enim, non in titulos DOCTORIS VTRIVSQVE IVRIS, sed in solidæ possessionem Sapientiæ incumbebas. Non lentum Tibi neque præceps fuit ingenium, cauta, non astuta Prudentia, jungebas plura uno die studia, non confundebas, una curâ consecrabas aliam: à singulis horis aliquam eruditionèm exigebas, ut illam Tuæ immortalitate donares memoriæ. Eripiebas avaro tempori posthumam Scriptorum gloriam, quoties eruditos illorum partus in variam ituros famam, Tui capitis donabas colligebasque hospitio. Nullus tamen inde redundabat unquam in sermone Tuo fastus, non vocabas ad numerum, Auctorum quos evolveras nomina, non ostentabas Romanas gemini Doctoris Laureas, non jactabas Annulos, quorum Tu ipse Gemma fuisti præcipua. Ex tantæ dignitatis munere, nihil ad Te credebas pertinere, præter exemplum Virtutis insolitæ. Quoties disputabas, errores insectabaris, non errantes, rudes æmulos composito sermone emendabas, non averso plectebas supercilio. Animos admiratione, non aures ventosis implebas clamoribus. Quod Clementi suo vovebat Plinius: *Sequebatur Te attentus ac pendens Auditor, & persuaderi sibi, etiam postquam persuaseras, cupiebat.* Ita dulce fuit singulis à Te vinci, ut inviti etiam, in Tuam ivissent sententiam, si vel unum tunc Roma habuisset invitum. Oc-

cursum

curſum tamen Tuum reverebantur omnes, non formidabant. Tantâ omnes comitate, humanitateque coluiſti, ut nullus à Tuo conſpectu ſe reciperet, niſi graviſsima monerent negotia, quæ pudebat fateri abeuntes, eò, quod curis omnibus major eſſes, neque Te res magnæ adæquarent, nec multæ totum occuparent: quaſi ad abſolvenda omnia, tempore, (quod ſolius Divinitatis privilegium eſt) non egeres. Nunquam inſtruebas epulas, ut aliquid perſuaderes; tanta ſuavitate ſermonem condiebas, ut omnium menſarum guſtum ſuperaret. In publico verò conſeſſu, cùm alij ſpecioſâ ſcientiæ vanitate tumidi narrarent: quot remiges Vlyſſes habuiſſet, quot centuriones Alexander? quot Darius ſigna? priorne lucem vidiſſet Odyſſea quam Ilias? quot Curius Dentatus in triumpho duxerit elephantos? quis Romanos primus docuerit navigare? quot annulos detraxit Nobilibus Annibal? Tu conſultiùs tunc ducebas otiari, quam ea quoque dicere, quibus curioſior, quàm doctior videreris. In verbis tanta fuit ubique dignitas, tanta in fronte oculiſque majeſtas, Religio tanta, ut locum non Aras mutaſſe videreris, quoties conclave repetebas. Quamdiu literis inſudaſti, ita vixiſti frugaliter, ita ab epulis recedebas, ita feſtinabas ad Codices, ne plus aliquando temporis, quàm cibi conſumeres. Partes ergo Antiſtitis, procul ante impleviſti REVERENDISSIME DOMINE, quàm eſſes ABBAS. Non minora enim requirit decora Sacra hæc Dignitas, nec majora optare poteſt, quàm Tu illi detuliſti. Vera Polonæ Aquilæ ſoboles exteros luſtraſti ſoles, vidiſtique: num etiam Tyberis habeat, quod flere poſsit. Raro exemplo Trium Pon- *Romanæ Celebritates.*

tificum funera, electiones, inaugurationesque a spexisti; ut disceres quomodo Sanctissimi moriantur, quanto studio, quantâque solicitudine quæri debeant inter homines, quantâ religione submittant verticem, non tam Insulis, quàm curis universi. Forte enim poterat invenire causam excusationis ingeniosa modestia Tua, si non vidisset, cum Summa Sanctimoniâ, Pontificum Tiaram stare posse, fulcirique Sacro Scipione, etiam pedes inoffensos. Intelleximus, quàm facilem Tibi reddideris absolutissimam in terris Sanctitatem, quæ Te non tantum ad Beatam suam Visionem, sed ad intima quoque oscula admisit toties. Quanta in vultu Tuo lego integerrimæ vestigia Sanctitatis, cujus pedibus, repetitis vicibus labra admovisti, ut tota colligeres. Quæ Ordini Religiosissimo? quæ nobis? quæ posteris dabis? immo quæ non dabis? exempla virtutum, quarum passibus ita intimè studuisti. Certè, si victorum olim quorundam pes triumphalis, quidquid tetigerat, Laurus erat; in quam non effloresces gloriam ANTISTITVM FLORENTISSIME, postquam tot Pontificum plantis caput submisisti? Quis in Tuam olim recusabit ire sententiam? in cujus ora labraque, Prima orbis Capita manibus pedibusque iverunt toties, quoties Te suarum manuum pedumque osculis admovebant. Rosis quondam lilijsqne palatum imbuebant Græci Romanique Oratores, humanis auribus blandituri; Diviniora locuturum os Tuum, sanctiore initiâsti antidoto. Quidni Tibi cordi sit omnis probitas? qui, Maximæ in Terris Sanctitatis gustum, ipsis labris toties percepisti. Si mutum alias, (teste Pausania in Atticis) dulcè resonabat saxum, in

quo

quo Apollo, nescio quid Megarensium Regi locuturus, Cytharam semel posuerat. Quàm gratas dabit populis voces Eloquentia Tua? in cujus Ore, suam Vicaria Numina, positione pedum designavêre stationem. Si aures in pedibus habent Principes, quæ ergo illis non persuasisti? quæ non obtinuisti? cùm Te tam profunde toties illis inclinares, quasi arcanum quid, ad aurem locuturus. Satis est: à pedum osculis, ad ea suæ Sanctitatis venisti alloquia, quibus PROTHONOTARIVS APOSTOLICVS ab ALEXANDRO VII. à CLEMENTE IX, LAVREATVS IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR, ab INNOCENTIO XI. PRÆLATVS DOMESTICVS, & VTRIVSQVE SIGNATVRÆ REFERENDARIVS in Vrbe, renuntiari meruisti, ut omni suspicione carerent Tituli, qui à Tanta deferebantur Sanctitate. Si igitur longiùs morari licuisset, post Conclave domesticum, Cor etiam Pontificis adiisses, tenuissesque. Inde quid Te exspectabat, non arduum mihi concludere, nisi verecundia vetaret Tua. Satis est, quod Primo affatu TOGAS ROMANAS vulgò Rokietas Basilicæ Posnaniensi Cathedrali impetrâsti, Secundo, BREVE Apostolicum Religiosissimæ Divi PHILIPPI NEREI CONGREGATIONI pro Solennibus Comitijs in SACRO MONTE VIRGINIS AVGVSTISSIMÆ celebrandis, sine mora obtinuisti, ut non tam impetrasse, quàm imperâsse videreris. Ita enim loquebaris, ut BEATISSIMI quoque haberent, quod illis deesset, nimirum excusatio. Immo etiam parum aberat, ne innuerent ut plura rogare velles. Petijsti Sacra Divi PHILIPPI Lipsana,

retulisti potiorem illorum partem; Nam ut PRIMVM in terris CAPVT non decebat humiliùs tibi offerre munus; ita Te pudebat minus admittere. Habet igitur Tibi gratias ABBAS REVERENDISSIME, MONS ille SANCTVS, quem addito tam nobili deposito fecisti Sanctiorem. Feret grati animi memoriam, & Divus hic Italiæ Apostolus, quem tam sublimi donasti fastigio, ut extinctus altiùs emineret, qui vivus ita latuerat. Eriget se Sanctum illud Culmen, tanto à Te auctum munere, monebitque semper Divum, ut Te ex alto, in quo illum posuisti, respiciat. Neque locum excusationi dabit, si Te non videat, illasque, quas pridem mereris Infulas, Tuis Virtutibus, & nostræ felicitati, non provideat. Non sine arcano fatorum Comitio Roma Te hospitem habuit, cum Divi, Divæque, hoc est PETRVS de ALCANTARA, ROSA di PERV, MAGDALENA de PAZZIS, solenni Apotheosi donarentur. Nimirum, ut palam jam tum foret omnibus, quàm non longe à Sanctorum cœtu religioneque abfueris. Nisi Te, ad hæc usque tempora, nostræ Insulæ, superi servare voluissent, securum cœli, quod, gemmis patet. Mavis interea, ipse sacra reddere, quàm accipere, colereque superos ipse, quàm inter Superos adorari. Erit, erit beatissimum illud ævum, quod Te, plenum meritis, eò reducet, unde Tibi amica sidera, in avitas Ceras defluxerunt: ut etiam absens, à cœlo non distares, Trium Poloniæ Regum, CASIMIRI SECVNDI, MICHAELIS PRIMI, IOANNIS TERTII, ad prodigium hodie regnantis, SECRETARIVS, toties COMMISSARIVS, toties Iudiciorum subsellij Regij ASSESSOR, toties

Sanctorum Apotheoses

ties ad Palatinatus Majoris Poloniæ ABLEGATVS, imposito munere ita feliciter fungebaris, ut sæpe, prius omnia quam exposueris, obtineres. Redibas ad Principes, quasi nunquam ab illis abfuisses, quorum mentem, ita ubique cordi habuisti, atq; illi.

Sol ipse diu luctatur cum nubibus, ut erumpat, ex umbris, diu nox astra tenet, gemmas diu conchæ claudunt, spinæ rosas prohibent, ne se ultra efferant, aurum argentumque integri montes tegunt, non tam ut illud malleis, ignibusque submoant, quàm ne in oculos, lucemque exeat. Ad Te, lux ipsa penetrabat: invidiamque Sanctissimis etiam movebas Dignitatibus. Erat qui Titulorum contentionem de Te exaudiret, Vnus honor præripiebat Te alteri, an se ultro ipse quasi minor Tuis meritis subtrahebat. Vix OSIECENSIS, MODRENSISQVE PRÆPOSITVRÆ fastigium adijsti, jam à Majoris Poloniæ Cathedrali Basilicæ CANONICVS poscebaris. Suscepisti; ne pluris Tuum de Te facere videreris Iudicium, quàm alienum. ARCHIDIACONVS SREMENSIS, hoc est, Prælatus in eadem Cathedra, ita Te omnibus sub mittebas, ut Te præesse non meminisses, nisi publica palam narraret Veneratio. Ducentarum ultra sexaginta Ecclesiarum VISITATOR GVBERNATORQVE; mirum erat, quomodo ad minimos quoque errores adverteris, quos nunquam noveras. Cum emendanda deprehenderes, sæpe præ verecundia, non omnia reis adferebas, ut viderent quod Te plus puderet ea dicere, quàm illos agere; discerentque: ipsam eorum quæ fecissent memoriam quoddam crimen esse. Ita tamen moribus Tuis, & exemplo damnabas delinquentes, ut adverte-

Gradus Honorum.

Prudentia singularis

rent Te illorum innocentiam desiderasse, non supplicium. Coram Tribunali Tuo non antiquam fiduciam, sed pristinos mores, non famam, non pretium, sed vitia deponebant. Supremam, quam pronuntiabas in errata, non in Personas, sententiam, non aliter, quàm si auro scripta foret, æstimabant. Miscebas Patronum Iudici, ut causam eo meliorem faceres, quo deteriorem acceperas. Inde ad tribunal Tuum, rei, non tanquam ad equuleum trahebantur, sed sponte, tanquam ægri ad Medicum, properabant. Interdum verò, ceu prudens Sessor, indomitis & non admittentibus frenum Equis, vel ceu Pater, amaram respuentibus, potionem filijs, jamque cum ultimo morbo colluctantibus, labra quibus regustanda erat, melle quodam tingebas, imbuebas. Audeo proinde dicere: Augustus Romam quam à Majoribus suis lateritiam acceperat, Posteris marmoream tantùm reddidit; Tu ad majores vocatus Infulas, Diœcesim auream, dicam etiam gemmeam, sudoribus Tuis effecisti. Incurrit fama hæc in totius Regni oculos, ideo repetitis vicibus Supremi quoque sui Tribunalis Arbitrum Te esse voluit. Implevisti Provinciæ hujus non Subsellium tantùm, ut plures solent, sed dignitatem; tanta felicitate, ut oculos Areopago quos Antiquitas clauserat, aperuisse videreris. In manu Tua ita fata hominum, hoc est felicitatem nostram versabas, ut neque præcipitares causas, nec differres. Dabas quidem reorum excusationi spatium, sed non illam moram, qua crimina diu possent videri, Te Iudice, tuta esse. Nemo hactenus à foro, nemo à curia, nemo à Tribunali discessit acerbiore audita sententia, nisi aversus, nisi hostis, nisi tacitarum plenus ira-

Potestas Iudiciaria

rum

rum minarumque. Tu ita pronuntiabas reos, ut prius se ipsi damnatos intelligerent, quàm audirent. Illa Tibi causa cordi fuit, quæ magis innocentia suâ resplendebat, quàm auro. Nimirum: Antiqui nobis Imaginem Iudicis referebas; servabas oculos, cum se præpotentes rei vellent respici, non æquitatem: Servabas manus, ne palpares tantum crimina vel munera. (Si, non hoc quoque majus crimen est.) Ad conspectum Tuum quævis erubescebat Dignitas, quævis expalluit conscientia. Omnia enim Sacra Tua, non Gratijs litabantur, sed Themidi; non ex Gratiani fastis, sed ex Iustiniani codicibus decernebas. Fama fuit publica, à sole facilius posse impetrari ne luceat, quàm ne dignam ferres sententiam. Ipse tamen omnium Te metus amabat: nullus, etiam ex scelestissimis, ædes Tuas adijt, qui Tuam non celebraret, vel in ferendo suffragio æquitatem, vel in aperienda mente claritatem. Si quis enim priusquam subsellium Tribunalis conscenderes, iniquæ patrocinium causæ à Te postulabat, hoc Te unum præstare illi beneficium posse dicebas, quod cito negares. Et sic prævisa vulnera redebas leviora, ut, etiam feriendo parceres. Quando sistebantur accusati, non abruptum Tua lingua sermonem protrudebat, non oculus lento motu, quasi crimen aliquod ex reorum vultu legeret, severos aspectus evibrabat, neque adducto supercilio, minabaris terribile aliquid, quod nondum os protulisset, ab iniquis debere exspectari; sed composita ad omnem clementiam fronte, ruentes erigebas, ne caderent, priusquam damnarentur. In immortale olim illibatæ Virtutis testimonium, æquissimis Iudicibus, ex ebore, vel Alabastro, statuæ post fata, in foro, vel

Curia ponebantur. Vt palam esset: quanti suas facerent illi Virtutes. qui sic ornabant alienas, ut ipsa etiam saxa in venerationem cogerent, & memoriam. Non est, non est, quod exspectes. PRÆSVL IVSTISSIME, candidiorem habes Statuam, hoc est, constantissimam Tuam in omni foro Innocentiam. Illud vero elogium Tuum humana penitus excedit pretia, quod Orientis fulmen, quod terror hostium, quod invidia sæculorum, nondum dixi omnia; quod Regum Numen IOANNES TERTIVS, ut Regiæ suæ, de componendo cum Christianis Principibus bello, Curæ, parem eventum haberent, Tecum in suprema illa ad Innocentium XI. Legatione, laborem suum, hoc est, generis humani felicitatem, partitus est. Ita enim Te SECRETARIVM hujus LEGATIONIS creaverat, ut quiescente Athlante, Herculis onus ferres. Quacunque demum via incedebas; cum Dux Radzivilius, Magnus Poloniarum Legatus diceretur, dubium tamen omnibus fuit, an non Tu esses? Diu non intelligebant, diu erudiri debuerant, ut Te Secretarium existimarent esse, non Legatum. VIENNAM AVSTRIÆ tanto splendore auxistis hospites, ut non belli suppetias contra Othomanum Legatio vestra poscere, sed spolia Orientis portare videretur. Plus tamen lucis habuit apparatus ille, ab Ornâtissima, Tua Suada, quâ Dux, armorum quam linguarum gloriâ illustrior, Principibus, populisque in itinere illo loquebatur. Nam omnes tanta comitate, benevolentia tanta coluisti, ut pluris se æstimarent, cum à Te exirent, quam intraverunt. Cum responsa dares, nemo Delphica desiderabat oracula. O quot venientium? quot exe-

Legatio publica.

untium

untium querelis personasse, audivimus legimusque limina, eorum, quorum sermo conspectusq; tantum non in totos differebatur dies: ut difficultate aditûs, intenderetur veneratio. Tibi nulla unquam fuit in audiendo difficultas, nulla in absolvendo mora, quasi unam illam habuisses curam, ut omnium exspectationem superares. Velocissimi sideris more, omnia SECRETARII puncta percurrebas. Nemo excludebatur ab alloquio Tuo, nemo à conspectu Legati, omnibus licuit soles intueri. Et si quando gravissima negotia Te sibi poscebant, Tu de illorum tantum commodis, qui ad Te veniebant, non de Tuis solicitus esse videbaris. Neque ideo abrumpebas sermonem, neque oculos alio reflectebas, totum Te omnibus, totum singulis impendebas; Expendebas sapientissime numeros omnes benevolentiæ, qui unicuique debebantur, ne quid excederes, vel detraheres. Omnes nihilominus, ita dimittebas, ut se ultra meritum crederent æstimatos. Curarum reverentiâ Tuarum, præcipitare interdum sermonem volentibus, concedebas spatium, ultroque dabas causas moræ, ut secura esset verecundia. Nihil solitæ comitati confluentia undique negotia, nihil gravissima, quæ Te ubique circumstabant Provinciæ momenta, detrahebant. Omnium horarum fuit humanitas Tua: Omni puncto, ceu numen quoddam aderas. Et mirari satis non poterant, quod haberes, quo omnes, toto licet tibi ævo ignotos, in conclaui detineres: Cum Principibus de Imperij felicitate, amplitudine, Successoribus, gloria, cum armorum Præfectis, de eventibus bellorum, cum Sacrorum Antistitibus de Orthodoxæ Reipublicæ conservatione, cum Vrbium Præsidibus, de earum

 muni-

munitione, de fide erga ſuos Principes, cum erudi: tis, de varijs rerum eventibus, qui ſæculis intereuntibus, iterum ſæpiuſque ad nos redeunt, loquebaris. Ne quis materiam citius, quam animum Te alloquendi, defuiſſe ſibi queri poſſet. Et ſic non vultus duntaxat illorum, qui Te fallere poterant, ſed ultimam etiam mentem perſpexiſti, gaudebantque ſinguli, quod hac via non ad conclave tantum, ſed ad judicium quoque Tuum, quo, humana omnia tranſgrederis, penetraſſent. Longe tamen adhuc erant à Te, quos felices Tuo faciebas alloquio. Ita enim comitatem illam temperabas Dignitate, ut fortunam ſuam, nonniſi Tuo beneficio metiri poſſent, tantumque illis eminebas, quantum gratiæ conferebas. Semper minor eſt, qui plus debet: quantum eſt illud, quod confertur, tantum quoque eſt accipientem inter & dantem, intervallum: accepta, non æquant nos beneſicia, ſed ſubijciunt; Procul ergo eras ab ijs ABBAS DIGNISSIME, ad quorum alloquia, ita feliciter, ex humanitate Tua declinabas, ut ſupra ſolem & aſtra, extolli ab illis merereris. Complectar omnia: tanta dignitate in ſuprema illa in urbem Legatione ſecretarij munere fungebaris, ut Dux Sapientiſsimus, penes cujus Titulum, ſumma rei fuit, elegerit Patavy vitâ excedere, ut Supremum Tibi quod pridem merebaris Theatrum, locumque primum, Romæ daret. Gravius illi fuit, Te ſecundum Videre, quàm mori; An ſub tanti, quod Romam ferebat negotij mole, ſucubuit? Quidquid ſit, PRÆSVL MERITISSIME, Tui hæc quoque elogij materia eſt, illud Te curarum pondus ne ſenſiſſe quidem, ſub quo Dux tantus cecidit. Dici quidem

initio

initio deliberasti: non quod supra vires Tuas foret opus, sed quod eventus rei, non à Tua penderet facultate; Te vero illo natura ornavit ingenio, ut nihil inchoatum velis, nisi quod perfectum. Idem apud Te est, polliceri, quod præstare, prodire in arenam, & decurrere, collimare ad metam, & tenere. Redibant ergo, ibantque à Te, ad Invictissimi nostri Principis Aulam Literæ, quibus hanc, Divino Comitio tuæ curæ commissam deprecabaris, Provinciam. Legebantur exarata calamo Tuo Nomina, quæ intercisum continuarent officium; sed quo Te ingeniosius excusabas, eo fortius svadebas, ne audireris. Illa ipsa Tua de successu eventuque rei solicitudo, publicæ securitatis fuit argumentum, & fama communis, quod ea dexteritate, legatione fungi posses, quâ Regni totus votis obsistebas. Et pulchrum quidem Tibi fuit, debitos virtutibus Tuis titulos deprecari, sed Sapientissimo Regi pulchrius, excusationem Tuam non admittere. Certabat felicissime modestia Tua, cum fortissimo de Te, Invictissimi Regis judicio, Vinci tamen parerat ab eo. ornatissimas quantumvis rationes Tuas, cui ipse quoque oriens, jam bis sucubuit. Innuebas svaderi Aulæ, ut parem extincto daret Radziwilio, sed ipsum quoque illud ferale saxum quod Ducem nobis oppresserat, clauseratque, acuebât desideria, votaque nostra, vt non alium extra, Te haberet sucessorem. Indignabamur tamdiu reluctanti diffidentiæ Tuæ; accusabamus amoris in Patriam imbecillitatem, modestiæ Tuæ constantiam, pertinaciæ appellabamus nomine, faciebasque, ut haberemus quod nobis in solida virtute Tua displiceret. Immo ideo parum aberat ut sanctissimi quo-

que ſenatus noſtri Præſules minorem Tibi humilitatem exoptarent. Erat qui tam diu obſtinatam, votiſque publicis tamdiu renitentem Tuam mentem admiratus, exclamaret: Boni ſuperi quam arduus eſt, ad ſolidam virtutis expugnationem acceſſus. Hoſtem jam inclinare armis ad deditionem poteramus vel ruinam, prius quam apud hunc Præſulem euincamus, ut pro communis belli ſuppetijs, Legati officia non recuſet. Victus ergo tandem, non tam precibus noſtris, quam inſtantis procellæ periculo, temporiſque auguſtijs quaſi ad Termopylas redactus, dediſti manus operi, non tam ſuſcipiens titulos, quam non recuſans Provinciam. Et tunc demum nobis, omnes, quas ex triſtiſsimo Illuſtriſsimi Legati noſtri obitu conceperamus, lacrymas, abſterſiſti, leviorque jam nobis, tanta licet jactura videbatur, quod vices extincti, Anima fauſtiſsimæ legationis occuparet; ſicut dolere non ſolemus ſolem occidentem, eo, quòd rediturum ſciamus, nec de amiſſa gemma diu querimur, cum alia præſto ſit, dignitati par, & Annulo. Ita noſtræ quoque de te ſpei Abbas Sapientiſsime, minor non illuſit eventus. Ita in conſpectu PATRIS BEATISSIMI verſatus es, ut nos beatos faceres, ita INNOCENTIVM XI. adijſti, ut ea facilitate omnia impetraveris, qua ſolent concedere innocentes. Ne quid tibi in illa deeſset dignitate, etiam interprete non egebas. Italicè Romano Capiti locutus es, hoc eſt, idem tibi cum SANCTISSIMO PATRE ſermo fuit, eadem lingva, mens eadem, tantùm non Sanctimonia. Sed parco iam verecundiæ tuæ. Tu vero Præſulum Tolerantiſsime, cave, ne prolixam hanc eſſe de tua excuſatione narrationem meam dixeris, pace tua reſ-

ponde-

ponderem, diutiùs ſe Tua excuſavit Modeſtia, quam ego narraverim.

Tot Pontificum, ſive gratijs auctus, ſive honoribus, tot Regum titulis illuſtris, tot Procerum ſuffragijs ornatus, in Religioſiſsima ſacri Ciſtertienſium Ordinis Vmbra, Te abdidiſti, vt ſolem, lucemque publicam, quæ pulcherrimos etiam ſæpe immutat vultus, & quamtumvis integerrimos, quos in magnam ſpem, decuſque alebat, aut delicias, ſenſim flores urit, declinares. Sed erràſti: me hercule; clarius aſtra micant inter vmbras, vberius in tenebris relucet IGNATIVS. Et ideo, totam quam Patriæ Generique tuo collegeras gloriam, totum quem tuis meritis in omnium expectatione accenderas ſplendorem, Inſtituto quod amplexus es, ſimul omnem infudiſti, ut, non numero, Religioſorum Nominum faſtos extenderes, quibus addebaris, ſed illuſtribus promeritis. Iturus ipſe olim non in ſeriem tantùm Annalium, ſed in exempla Sæculorum, & abſolutiſsimæ virtutis calcar, Secuturis. Vnum tibi inter ſuprema pretia reſervaſti, neſciri. Sed parce fiduciæ meæ: cum tanto ſtudio, curâque, latebras meritorum tuorum diligentiús quæreres, in oculos omnium incidiſti, ipſaſque nobis apperuiſti uias, & vmbras retexiſti. Sequebamur Modeſtiam tuam, admiratione noſtra, non paſsibus; longe enim à nobis, etiam cum Te tam profunde demittebas, diſtabas. Longum erat inter tuam dignitatem, & vota conatuſque noſtros intervallum. O quam diu cæteri luctamur! ſpes tantum non titulos relicturi. Quot, ipſi nobis negotia fingimus! in quot Scyllas, non incurrimus modo, ſed involamus etiam, vt vel caſu vota noſtra frangamus! quot capita vocamus in conſilium, vt vel vnum du-

Abdicatio Titulorum

bitet: securiusne sit, ab incæpto desistere, quàm sequi. Tu Antistes Religiosissime etiam tempora prævolare voluisti, ne minimo langvori dares spatium. Omnem penitus moram dedignabaris, æternitatem auspicatus. Contraria suadentibus; respondebas: diffidere sui operis Sanctitati; videtur ille, qui consilium de mora capit. Etiam ipsa deliberatio, dedecet animum Divina cogitantem: Nec palmari vacat culpa, de vanitate disceptare. Solus ergo in abdita illa, quæ tanta, maturitate delegeras, ivisti.

Tyrociniũ Religiosum Vna te Oblivio nostri, & æternitatis memoria, comitata est. Tituli, Honores, spes, suffragia, longè à tergo sequebantur. nec amplius ausa in tuæ virtutis oculos, limenque illud, quod tam Heroico pede transieras, impingere. Mærebat spretus Orbis; quem quantumque amisisset sæpius secum reputabat. Tu vero tanto tibi liberior videbaris, quanto plura deposueras. Nec erat quod jam amplius respiceres, nisi ut sæpius displicerent, quæ semel damnaveras. Vnum tantum dolere auditus es, ex illis, quæ seculo eiusque profanis curis diligentissime sacra erant: Dies nimirum & Horas, quæ tot sudoribus effluxerant, tam sterile littus, tamdiu colenti. Non sine palmari tamen solatio, abibat dolor ille. Discebas enim ex jactura, quanto minoribus impensis, perennatura emi possint, quàm caduca. Hinc prima illa, & quia primá, ideo gravissima solitudo, Tibi in

In Paradisiensi Monasterio vitam religiosam auspicatur. PARADISVM transierat. Cum hoc discrimine: quod ibi nec malum videres, nec audires serpentem. Primus tamen in illo cætu Homo dici poteras, vel ideo quod cum Tyronem Te Sacræ Religionis appellabas, Virtutem præferres veteranam. Absolutissimæ schola perfectionis Eruditoribus Tuis fuisti:

cum

cum Te vellent instruere, ne suo non fungerentur officio, ex te ipso, exemplum illius quam tradebant doctrinæ capiebant. Tu vero tanto altius eminebas, quanto humilius ipse de Te formabas judicium. Ita Te ornabas ut qui scire vellet, interrogandum illi erat: num Tu Abbas esses: non ex comitatu, qui præter modestiam singularem, orisque Dignitatem, nullus tunc erat; non ex candidiore, subtilioreque Toga vel torque aureo; sed ex morum, gravitate nosci voluisti. Vidisse Te, vrgeri fuit ad Virtutem. Nullum inter Te aliosque Nouitios discrimen erat, nisi ingens Veneratiò, quæ te vbique sequebatur. Etiam Crucem Pontificiam ex oculis tantisper moveras, verebarisque illam ferre, quod esset aurea. Nihil proinde in Te vidimus grave, præter minimarum etiam noxarum curam. In hoc vno innocentia Tua felicissime errabat, quod Tyro ruborem Veteranis eliceres, exemplo Virtutis. Antiqui dierum Aesones tuo repuerascebant in conspectu, discebant ex te leges suas, & sancita. Difficillima quoque, exacte observari posse, religiosissimis moribus tuis docuisti. mensa tibi communis fuit cum alijs, sed non vsus. Sæpe nihil consumebas, præter tempus, sæpe nihil præter tui Victoriam, inter epulas delibabas. Ille vnus ad gustum fuit, ille palato præcipue arridebat cibus, qui humilior, qui se tibi sinceritate sua commendabat, non condimentis. Si vel indignaris, vel rides, vel negas vera esse, hæc quæ narro Præsul meritissime; non in calamum meum, sed in virtutem tuam tela verte, quæ tot habet decora, vt illa quantum vis velit, servare, non possit; etiam inter vmbras emicat. Non solum ergo, Nomen, Doctissimæ Sanctissimæque huic Reipublicæ dedisti, non solus venisti in numerum. Lon-

ge plura Sacro Ordini intulisti, quàm Sæculo reliqueris. Tu ipse, quem dedisti, multiplex variusque mihi es: in Conclavi Ambrosius, in Cathedra Chrysosthomus, Ad aras Gregorius, Cyneas in Legationibus. in Aula Parmenio, Nestor in Comitijs, in Epistolis Hieronymus, in acumine Chrysologus, in Eloquentiæ Svavitate Bernardus, hoc est, vbique IGNATIVS, vbique GNINSKI. Nimirum in vno Te, tot simul donasti, quot exprimis ingenio, moribusque. Tot nominibus, titulisque Sacrum Ordinem illustrasti, quot illius causa sprevisti, tot illum auxisti honoribus, quot, parem animum attulisti. Tot habes merita, vt tota tibi Coronovia abeat in coronam, Tu in gemmam, tanto cariorem quo rariorem. Rarum enim decus est: prius meruisse Infulas, quàm habere, rara felicitas, prius dignitatem, omnium judicijs, omnium suffragijs, omnium expectatione possidere, quam adeas: rara vis Virtutis, quæ tantum vni conciliet, quantum Tibi.

Ingredere jam fortunatus Hospes, novas Pontificio accessu, sed meritis, suffragys, votisque omnium, pridem Tuas. Submitte maioribus Mitris debitum, Coronoviensi Infulæ caput; ut capiat Polonus Orbis documentum, quam impar sit tantæ capacitati, hæc Tiara. Colligat sacra hæc Tenia eruditæ frontis tuæ sudores, quos in publicos vsus messemque effudisti. Admitte Pontificium scipionem, ut, illo magnas inprimis spes, deinde felicitatem nostram erigas, fulciasque. Satis iam violentiæ publicæ expectationi, satis meritis tuis illatum est. Redde nobis vnus extincta tot Abbatum Nomina, redde virtutes, redde tam longæ orbitati solatia, redde sæculo tuo exempla immortalia. Redeat ad Caput, cætus hic Religiosi-

gioſiſsimus, qui iam pæne extra ſe abierat, graviſsimo abſentiæ tuæ tædio deturbatus. Redeat ſuus domeſtico ſplendori Ordo, Aris majeſtas redeat, redeat Gemma ad Coronam. Præſta, vt minus iam hodie, Anteceſsores tui lugeantur. Expectat Te Breda: & non tam in ripas, quam in gaudia effunditur. *Coronouiæ deſidoria,* Expectat veneranda ævo Baſilica, & pæne Vetuſtatis ſuæ oblita refloreſcit, collectoque ſenſim ſpiritu, apertis anhela portis, ſuſpirat hoſpitem. Expectat magis Dignitate Tua, quam ſuis ſuperba montibus Coronovia. Erigit ſe, profertque ſupra Alpes, ſupra Apenninum, ſupra Oethæa Culmina, quæ Herculeos cineres collegerunt, ſupra Peruana juga, quæ auro tument; poſtquam tàm pretioſum imponi ſibi videt Antiſtitem. Ingredere: amicæ Tibi Viam ſternunt ROSÆ, nullas pro Te aſperitates recuſant: quia ſpinas amant, Omnem Cultum, vbertatemque tibi pollicentur VOMERES non ad ſterile littus nati, ſed ad meſſem. Poſt tot curarum excubias, reſpira tantiſper Philippe; Vigilabit pro Te ANTIPATER. *Arma Gentilitia Adminiſtratoris Abbatiæ*




BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE



